

movens. Largius porrecta nauseam, vomitum et diarrhoeam provocat.

**U.** Experimentis plurimis constat, in variis morbis cutaneis chronicis, puta: tinea capitis, crusta lactea, scabie, herpete aliisque, herbam Violæ tricoloris utilissimam esse; sic etiam adversus serofulas, indurations glandularum, otorrhœam, lippitudinem, cum successu adhibita fuit, aliquando conjunctum cum bidente tripartita, tussilagine farfara aut dulcamara. Extrinsecus ulceribus serofulosis, atonicis, apta esse dicitur.

**D.** Forma pulveris adulto grana 10 — 20 — 30 ter quaterve in die propinantur. Infusum paratur ex drachmis duabus aut tribus, cum libra aquae vel lactis, cuius dimidium mane, reliquum vesperi sumitur. Succus recens expressus a drachma ad duas efficax esse fertur.

### ZINGIBER OFFICINALE.

AMMOMUM ZINGIBER.

Имбирь бульй.

Planta perennis, olim tantum in India Orientali obvia, nunc vero in America et præcipue in insulis Antillanis copiosa; in Jamaica frequentissime colitur et spontanea est. Zingiber Indiæ Orientalis, ad littora Malabariae crescens, aliis præfertur. Cl. Monandr. O. Monogyn. O. N. Scitamineæ. Usuale est:

RHIZOMA (*Radix Zingiberis*), ramosum, nodosum, compressum, rugosum, ponderosum, extrinsecus e flavo-cinereum, intus album, maculis lutescentibus, subresinosis, fracturæ subsibrillosæ. In usum medicum præcaeteris dueendum est Zingiber album, seu Jamaicense, quod decorticatum, in umbra leni calore siccatur. Zingiber commune, seu vulgare, rhizoma est cortice

obductum, quod recens adhue aqua fervida abluitur, et calore vel naturali vel artificiali siccatur. Leve, vermibus exesum, fragile, intus nigrescens, aut vetustum, plane rejiciendum est.

**Q.** Odor aromaticus, non ingratus quidem, ast nates ita lacescens, ut pulvisculo, in superficie separabili, sternutamenta provocare queat. Sapor masticati peracer, os fervoris sensu adficiens, salivam movens. Partes quibus constat sunt: resina duplex, quarum una tantum in æthere solubilis; oleum volatile cœruleo-virescens; principium peculiare, materiæ animali (osmazomæ) affine; acidum aceticum; acetum potassæ; amyolum; gummi; sulphur; quedam oxyda et ligninum (MORIN et ROUEN). Partes efficaces aqua, alcohole et æthere magna ex parte solvuntur.

**V.** Fortiter stimulans; canalis intestinalis peristalticum motum intendens; hinc peptica. Interdum lotium et transpirationem auget; dum vero masticatur, salivam movet; minus tamen, quam caetera aromata excalescit, ejusque effectus sunt durabiliores.

**U.** In morbis debilitate et torpore stipatis optime convenit. Languenti ventriculo calcar addit; hinc dyspepsiæ, anorexiæ, enterodynæ flatulentæ, arthrodyniæ, tympanitidi etc. opitulatur. Inter febrisfuga quoque referri posse existimabatur; rectius tamen inter aromata, quæ cortici cinchonæ, ne ventriculum molestet, addi solent, locum oceupat. Principio aeri in organon respirationis agit, hinc vis ejus medicamentosa eluet in accumulatione pituitæ, pertussi, nec non in tussi stomachica. Uvulae e pituita nimis prolongatae justa sedes et magnitudo, pulvere radieis Zingiberis, per manubrium cochlearis, per se, vel cum supersulphate aluminae et potassæ admoto, restituuntur. In affectionibus

paralyticis et arthriticis commendatur. In odontalgia tinctura ejusdem, gossypio instillata et gingivis admodum, salivam educendo, mollimentum praestitit (NIEMANN). Conditum *Zingiberis exoticum*, e radice recenti confectum, præstantius illo est, quod pistores dulciarii in Europa saccharo incoquunt.

D. In pulverem tenuatum a granis decem ad scrupulum exhibetur; ventriculo autem viscida colluvie onerato, salia neutra adduntur. Infusum paratur e drachma vel duabus cum sex unciiis aquæ, saepius in die cochleatim propinandum.

---